

## Quaestiones disputatae (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura<sup>1</sup>

### Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

### **Quaestio 8: *Utrum ligamen obedientiae dissolvatur in dissolutione animae a corpore, an etiam semper teneat, etiam post resurrectionem miraculose factam?* (fol. 105rb)**

Utrum ligamen obedientiae dissolvatur in dissolutione animae a corpore, an etiam semper teneat, etiam post resurrectionem miraculose factam? Et videtur, quod sic, quia eo modo debet impleri votum sicut iacet forma promissionis. Set promissio fuit toto tempore vitae suae. Sed planum est quod talis, si vere est resuscitatus, vere vivit vita animali. Ergo illud tempus vitae includitur in toto tempore vitae suae. Ergo tenetur redire ad votum suum implendum.

**Contra**, uxor non tenetur ad obedientiam viri, nec e converso, soluta morte alterius, sicut dicit Apostolus.<sup>2</sup> Sed de similibus simile est iudicium, ergo soluta morte religiosi, non tenetur suae religioni amplius obedire, ergo etc.

**Respondeo**, dicendum, quod circa hanc quaestionem sunt duae positiones. Quidam dicunt, quod talis religiosus non plus tenetur primae obedientiae quam vir suae uxori, eo quod hoc exprimitur in sua promissione in qua ponitur terminus talis obligationis, quando dicit, toto tempore vitae meae. Ergo, quando solvitur vita sua, solvitur oboedientia sua, nec postea reviviscit, nisi per alterius gratiam, scilicet Dei cui tenetur non ingratus existere. Et in hoc differt a viro, quia vir non tenetur tenere vitam coniugalem, immo ingratus esset, si iterum eam vellet vel aliam. Sed religiosus non debet stare sine religione, eo quod sic stare est honorabilius Deum honorare, quod iste facere tenetur plus quam prius ex gratia sibi superaddita, sed non tenetur ad illam religionem plus quam ad aliam.

---

<sup>1</sup> The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

*Quaestiones disputatae* q. 8, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

<sup>2</sup> Rm 7:2.

Alii<sup>3</sup> dicunt, quod tenetur primam oboedientiam servare, cuius ratio est haec, quia per votum oboedientiae voluntas rationalis propter Deum subicitur lege(?) tali oboedientiae cui rationi omnes aliae vires obediunt per paupertatem et castitatem, quae habent refrenare membra, quae sunt in corpore. Ergo, quia principalis obligatio manet in subiecto incorruptibili, indifferenter anima coniuncta vel separata, hinc est quod semper manet. Non sic autem est de uxore, quia obligatio matrimonialis principaliter est corporalis, propter quam vir non habet potestatem super animam, sed super corpus uxoris, nisi quatenus corpus dependet ab anima, et ideo statim solvitur corpore soluto, sicut dicit Apostolus *Ad corinthios VII*.<sup>4</sup> Unde talia vota sic credo obligare contrahentes, sicut eorum intentio iacet illius, qui recipit promissionem, et eius qui facit. Unde Ambrosius dicit, sicut Deus iuramentum accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Unde non videtur, quod ille intendat se obligare nisi quandiu vivit in ista vita communi, nec credo, quod si ab illo qui recipit quaereretur vellet promittentem amplius obligare. Unde quicquid(?) ultra accidit est supra humanam extimationem. Et ideo est talis relinquendus suo iudicio ut vivat spiritus illius cui spiritu agitur, nec est sub aliqua lege artatus nisi illius<sup>5</sup> qui eum suscitavit.

#### **Ad**

**argumentum in contrarium**, dicendum, quod illa vita non est eidem rationis cum illa in qua ille se intellexit obligare, quia illa est per naturam introducta, haec autem est per miraculum. Non tamen volo dicere, quod sit aequivoca vita, sed non intellexit ille sic se obligare, quod patet, quia si talis interrogaretur, diceret, si cogitasset super hoc, relinqui volo meo Domino cuius summa gratia suscitatus.

---

<sup>3</sup> Cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet I*, q. 37.

<sup>4</sup> I Cor 7:4.

<sup>5</sup> Vel *illi*